

suum in sole posuit, id est carnem suam in manifestatione hujus lucis ostendit ; et illius sponsi thalamus fuit uterus virginis, quia in illo utero virginali conjuncti sunt duo, sponsus et sponsa, sponsus Verbum et sponsa caro ; quia scriptum est : « Et erunt duo in carne una » ; et Dominus dicit in Evangelio : « Igitur jam non duo, sed una caro. » Et Isaias optime meminit unum esse ipsos duos : loquitur enim ex persona Christi, et dicit : « Sicut sponso imposuit mihi mitram, et sicut sponsam ornavit me ornamento. » Unus videtur loqui, et sponsum se fecit et sponsam se fecit ; quia non duo, sed una caro : quia « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis ». Illi carni adjungitur Ecclesia, et fit Christus totus, caput et corpus.

3. *Et testes, inquit, sumus ; et adnuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem, et manifestata est in nobis, hoc est, manifestata est inter nos ; quod apertius diceretur, manifestata est nobis. Quae ergo vidimus et audivimus, nuntiamus vobis. Intendat Caritas Vestra : « Quae ergo vidimus et audivimus, nuntiamus vobis. » Illi viderunt ipsum Dominum praesentem in carne, et audierunt verba ex ore Domini, et adnuntiaverunt nobis. Et nos ergo audivimus, sed non vidimus. Minus ergo sumus felices quam illi qui viderunt et audierunt ? Et quomodo adjungit : *Ut et vos societatem habeatis nobiscum ?* Illi viderunt, nos non vidimus, et tamen socii sumus ; quia fidem communem tenemus. Nam et quidam videndo non credidit, et palpare voluit, et sic credere, et ait : « Non credam nisi digitos meos misero in locum clavorum, et cicatrices ejus tetigero. » Et praebuit se ex tempore palpandum*